

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

LXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

L X X.

CHARTA TRADITIONIS MONASTERIO FRIENIS-
BERGENSI FACTÆ, A RUDOLPHO COM. DE
THIERSTEIN.

A N N O M C C V I I L

In nomine Sancte & Individue Trinitatis. Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum, necesse est, ut quæ a fidelibus iuste & rationabiliter facta sunt, scripto conserventur, ne per oblivionem e memoria hominum dilabantur; Hinc est quod & futuris notificamus, quod *Comes Rodolfus de Thierstein*, cujus parentes Abbatiam de Frienisperc, prædiis, dote, & privilegiis fundaverunt, ipse prædia amplificavit, sicut subter annotatum est, & privilegiari exposulavit; Verum ut hæc donatio breviter & veraciter, demonstretur, prædicto monasterio & fratribus ibidem Deo famulantibus totaliter & libere quicquid habebat in inferiori Wilere dedit, & omnia quæ habebat in villa quæ dicitur Elwile, cum feudo Tetrici, cum omni jure, cum omnibus attinentiis, cum omni libertate nihil penitus excipiens; dedit præterea in confinio prædictæ villæ Elwile, quod vulgo dicitur Sale, Turni, & Erithal, & Hirsera; Insuper dedit inter Curtem de Reide & Abbatiam nemus quod Stochera vocatur, cum vicina fylva quæ tangit terminos villæ, quæ Mönchilcha dicitur cum adjacente terra, quæ vocatur Trib, usque ad lapidem Crisium, & abinde usque ad lapidem qui dicitur Tegerstein

cuncta quæ inter præscriptos terminos habuit universaliter, integraliter, & fideliter donavit, tam ipse, quam filius ejus Rodolfus, laudante uxore ejus Kepa, cum filiis & filiabus eorum, collaudante simul uxore filii Sophia; Hi omnes pariter voto & unanimi voluntate dederunt, Deo & beatæ Mariæ, tactis sacrosanctis reliquiis, & nihil juris in præfata donatione se habere professi sunt, a modo & in perpetuum; Pastura pecudum seu animalium sine damno, tam in prædiis Abbatix quam Comitis communis est, pro his autem dederunt prædicti fratres XL. Marcas, & unam Hubam in dem Oberenwile; Acta sunt hæc anno dominicæ Incarn. MCCVIII. Indictione undecima; Sedi Apostolicæ præfidente piissimo Papa Innocentio. Constantiensis Ecclesiæ sedem tenente Episcopo Wernhero. *Ducatum Burgundiæ (a) potenter regente Duce Berchtoldo.* Hujus rei testes sunt ipse Abbas Rodolfus, & Conradus Sacerdos, & ipse Comes Rodolfus, & Cono miles de Tetsperc, & Petrus Villicus, Petrus & Burcardus nepos ejus, Milites de Schuphon; & alii quam plures diversæ dignitatis & ætatis; Igitur sicut hæc pro salute vivorum, ac mortuorum cum omni justitia & veritate facta sunt, ita maledicto se noverit traditum, qui hæc aliquo dono vel machinatione infringere temptaverit.

(a) *Ducatus* hic dicitur Burgundia Transjurana, quæ supra ad A. 1133. Comitatus.